



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

retur adversarium suum, & rescriptum eludat, nihil agit: & potest Judex à Pont. delegatus (etiam si alienantis tantum in rescripto fiat mentio) procedere etiam contra eum, in quem alienatio facta est, *c. 1. h. 2.* Jure civili datur in factum actio

ei, in cujus fraudem alienatio facta est, adversus alienantem, ad omne id, quod e us interest, talem alienationem factam non fuisse, *l. 1, 2, & 3. D. eod. V. A.*

IN TIT. XLIII. DE ARBITRIS.

SUMMARI A.

1. Arbitri qui dicantur.
2. Qui arbitratores.
3. Arbitri juris.

Arbitri hoc loco dicuntur, qui ex conventionione partium sumuntur ad dirimendam litem; qui & ideo arbitri recepti sive compromissarii vocantur, *tit. D. & C. De receptis arbitris & l. Rem non novam 4. §. 1. C. De judic.*

Dixi, hoc loco; nam & alias in jure iudices dati, quos delegatos appellamus, arbitri dicuntur, *l. Arbitro, cum l. seq. D. Qui satisfare cog. l. 1. D. De collat. dotis, cum aliis* Item nonnumquam arbitri appellantur illi, quibus extra litem in aliquo

contractu arbitrandum quid committitur: veluti in locatione, ut opus arbitrio locatoris fiat; in societate, ut partes lucri ab altero lociorum vel alio extraneo constituantur, *l. Societatem 77, §. fin. cum l. seq. D. Pro socio, et l. vulgò arbitratores nuncupentur.*

Sunt & arbitri juris, qui ex præscripto juris adsumuntur: veluti si Judex suspectus allegeret, jubentur partes eligere arbitros, qui de suspitionis causa cognoscant, *c. 4. & c. 11. De officio & potest. jud. deleg. in 6, & l. ult. C. De judicis.* Sed neque hic textus ad illos pertinet, sed tantummodò agit de arbitris, qui ex libera conventionione partium adsumuntur.

In Cap. 1.

Quod hoc Cap. dicitur de uno vel tribus adsumendis, consilii potius est quam præcepti; siquidem & rectè pari numero adsu-

mi posse constat *ex c. seq. & c. Innotuit 12. inf. eod. & l. Item si unus §. si in duos, & §. principaliter D. De arbitris.*

In Cap. Non sine multa 1.

SUMMARI A.

1. Arbitrium cum juramento partium an adsumi possint.
2. Juramentum quando servandum sit vel non.
3. Juramenti vis spectat ad forum Ecclesiasticum.
4. Arbitri an beneficium Ecclesiasticum uni adjudicent, interveniente certâ pecunie quantitate, possint.
5. Juramentum fraudulenter extortum an valeat.

Duo ex hoc Cap. observanda potissimum occurrunt: unum, quòd arbitri cum juramento partium adsumi possint, etiam in causis beneficialibus. Alterum, quòd arbitri ex causa possint uni adjudicare beneficium Ecclesiasticum, & eundem condemnare alteri in certam pecunie quantitatem. Accedat tertium, quòd juramentum per dolum & fraudem adversarii extortum ipso jure valeat. Sed singula latius inspiciamus.

Quod enim ad primum attinet, de juramento, quo se adstringere possunt partes, deferendo arbitrorum sententiæ, huic contrarius textus objeci-

at in §. quia vero multa Nov. 82. De judicib. & *Auth. Decernit C. De receptis arbitris ex d. Nov. de sumptibus, licet obscurus.* Quo loco Justinianus improbat hoc juramentum, adeoque ipsum arbitrium, cui adjicitur; idque ob periculum perjurii, quod ob facultatem jurantium inde consequi solet.

Nihilominus, non obstante hoc jure Justiniano, adhærendum est textui nostro, quo illud juramentum non improbat, uti patet ex fine *cap. nostri*, in verbis, *ad observantiam ipsius, & ibi Glos. Innoc. Panorm. & Imola.* Et ratio in promptu est, quia pendet ex illa juris regula, quâ dicitur, *¶ Toties juramentum esse servandum, quoties non redundat in præjudicium alterius, nec vergit in dispendium salutis aeternæ, ex c. Cum contingat 8. in fine inf. De jurejur. & c. 2. De pactis in 6.*

Ut mirum sit, Bart. in d. *Auth. Decernit*, ex dicta juris Canonici regula contrarium existimasse. eo quòd prælatio hujus juramenti sit contra præceptum Principis, in d. *Auth. decernit*, cui parere omnes tenemur sub reatu mortali; & per conse-